



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris.  
Theologia Universa**

**Archdekin, Richard**

**Dilingae, 1687**

Vbi peculiariter adducuntur Facultates Missionum singularum Angliæ,  
Hiberniæ, Hollandiæ, aliarumque, quoad ipsos Casus, loca, & personas in  
particulari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38477**

ulteriori examine, statim existimet subsistere quaslibet facultates, aut privilegia, quæ in quovis auctore aut libro notata, aut olim concessa reperuntur. Sicut enim quibusdam aliqua dantur de novo privilegia, ita etiam quædam antiqua in posteriorum Pontificum Decretis non raro revocantur aut restringuntur: quorum singula non nisi à viris prudentiâ & doctrinâ probè instructis satis discerni valent: ideòque in sequentibus pro communi usu ac scientia viam recurrendi commodissimam ac tutissimam aperiemus.

Ut igitur Confessarii, præsertim in Missionibus, cognoscant Facultates in iis concedi solitas, & sciant pro quibus casibus, & indulgis, & ad quos recurrere possint, hic subjiciam seriem variarum Facultatum, & indultorum, quæ Sedes Apostolica quibusdam personis in variis regnis, ac provinciis largiri solet: prout inveniuntur à sacra Congregatione de propaganda fide ex Regulis à sua Sanctitate approbatis digesta, & apud probatos Auctores recensita, ut quædam fusiùs apud Vericelli in *quæst. mor.* Non quod asseram singulas quas recenséo Facultates talibus personis, aut officiis semper aut necessariò annexas esse, sed quod illis potissimùm ab Apostolica Sede pro rerum exigentia liberè concedi aut annexi soleant.

## §. I.

*Facultates Missionum.*

*Pro Episcopis in Hibernia & alibi concedi solita, & quibusdam aliis infra exponendis.*

**P**rimò, Absolvendi ab hæresi & apostasia à Fide, & à schismate, quoscumque etiam Ecclesiasticos, tam Seculares, quàm Regulares. Non tamen eos, qui ex locis fuerint ubi S. Officium exercetur, nisi ex locis Missionum, in quibus impunè grassantur hæreses, deliquerint, nec illos qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint ubi impunè grassantur hæreses, & post judicialem abjuratorem illuc reversi, in hæresim fuerint relapsi, & hos in foro conscientie tantum.

Secundò, Tenendi, & legendi libros prohibitos Hæreticorum, ad effectum eos impugnandi, & alios quomodolibet prohibitos, præter opera Caroli Molini, Nicolai Macchiavelli, & libros de Astrologia judiciaria principaliter, aut incidenter, vel aliter quovis modo de ea tractantes, ita tamen ut libri ex ipsis Provinciis non efferantur.

Tertiò, Dispensandi in tertio, & quarto gradu simplici, & mixto in contrahendis, in contractis verò cum hæreticis conversis etiam in secundo simplici, & mixto, & in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

Quartò, Dispensandi super impedimento publicæ honestatis ex sponsalibus proveniente.

Quintò, Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante, & restituendi jus petendi debitum amissum.

Sextò, Dispensandi in impedimentis cognationis spiritualis, præterquam inter levantem & levatum.

Septimò, Hæc verò dispensationes matrimoniales, videlicet, tertia, quarta, quinta & sexta, non concedantur, nisi cum clausula, dummodò mulier rapta non fuerit, & si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat;

& in dispensationibus tenor hujusmodi facultatem inseratur, cum expressione temporis ad quod fuerint concessæ.

Octavò, Dispensandi in irregularitatibus ex debito occulto tantum provenientibus, exceptâ eâ, quæ ex homicidio voluntario contrahitur.

Nonò, Dispensandi, & commutandi vota simplicia in alia pia opera, exceptis votis Castitatis & Religionis.

Decimò, Absolvendi & dispensandi in quacunque simonia, & in reali dimissis beneficiis, & super fructibus malè perceptis, injunctâ aliquâ elemosinâ vel penitentia salutari, arbitrio dispensantis, vel etiam contententis beneficiis, si fuerint Parochialia, & non nisi qui Parochiis præfici possint.

Undecimò, Absolvendi ab omnibus casibus reventis, etiam in Bulla Cænæ.

Duodecimò, Dispensandi cum Catholicis super fructibus bonorum Ecclesiasticorum malè perceptis.

Decimotertiò, Dispensandi cum eisdem Catholicis, ut possint retinere bona Ecclesiastica, & fructus ex illis percipere, acceptâ ab illis promissione, de stando iudicio Ecclesiæ circa eorum restitutionem cum fieri poterit, illis interim admonitis, ut de dictis fructibus faciant elemosinam, iudicio Confessarii in usum Religionis, cujus ante hæresim, & schismata bona, si adit illa Religio, sin ibi minùs in papæ Catholicos, & memores sint, bona illa esse revocanda Ecclesiæ.

Decimoquartò, Dispensandi quando expedire videbitur super usum carniùm, ovorum, & lactis, in tempore Quadragesimæ.

Decimoquintò, Celebrandi Missam quocunque loco decenti, etiam sub diò, sub terra, una horâ ante Auroram, & aliâ post meridiem, bis in die, si necessitas urgeat, si tamen in prima Missâ non consumperit ablutioem, & super Altari portatili, etiam fracto, aut laeso, & sine Sanctorum Reliquiis, & presentibus hæreticis, aliisque excommunicatis, si abter celebrari non possit, & non sit periculum sacrilegii, dummodò inserviens Missæ non sit hæreticus, vel excommunicatus.

Decimosexto, Concedendi Indulgentiam plenariam primò conversis ab hæresi, atque etiam talibus quibuscumque in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non poterunt.

Decimosextimò, Concedendi Indulgentiam plenariam in Oratione Quadraginta Horarum tertio nocte indicenda, diebus benevitiis, contritis, & coactis, ac sacra Communione refectis, si tamen ex contenta populi, & expositione sanctissimi Sacramenti nulla præbabilis suspicio sit sacrilegii ab hæreticis, & similibus, aut Magistratum offensum iri.

Decimooctavò, Concedendi singulis Dominicis, & aliis diebus Festis decem Annorum Indulgentiam illi, qui ejus concionibus intervenerint, & plenariam illi, qui præviâ Sacramentali peccatorum suorum Confessione Eucharistiam sacram sument, in Festis Nativitatis Domini, Paschatis, & Assumptionis Beatissimæ Virginis.

Decimononò, Lucrandi sibi eisdem Indulgentias.

Vigesimò, Singulis secundis feriis, non impeditis Officium novem Lectionum, vel eis impeditis de immediate sequenti, celebrando Missam de Requie



in quocumque Altari etiam portatili, liberandi animam secundum eorum intentionem à Purgatorii penis per modum suffragii.

Vigesimo-primo. Deferendi sanctissimum Sacramentum occultè ad infirmos, sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab hæreticis, aut infidelibus non sit periculum sacrilegii.

Vigesimo-secundo. Induendi vestibus secularibus, si aliter vel transire ad loca eorum curæ commissa, vel in eis permanere non poterunt.

Vigesimo-tertio. Recitandi Rosarium, vel alias preces, si Breviarium secum deferre non poterunt, vel divinum Officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant.

Vigesimo-quarto. Communicandi prædictas facultates duobus Sacerdotibus tantum in qualibet civitate, & oppido insigni, vel Conventu Regularium Theologorum tantum, aut in aliquo Collegio bene instructis, & præsertim tempore sui obitus, ut Sede vacante, sint qui possunt supplere, donec Sedes Apostolica certior facta, quod quamprimum per delegatos, aut unum ex eis fieri debebit, alio modo provideat.

Vigesimo-quinto. Delegandi simplicibus Sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta, & alia utensilia ad Sacrificium Missæ necessaria, ubi non intervenit Unctio, & reconciliandi Ecclesias pollutas aquâ ab Episcopo benedictâ, & in casu necessitatis, etiam aquâ non benedictâ ab Episcopo.

Vigesimo-sexto. Conferendi Ordines extra tempora, & non servatis interstitiis, usque ad Sacerdotium inclusivè.

Vigesimo-septimo. Dispensandi super defectu ætatis unius Anni ob operariorum penuriam, ut promovendi possint ad Sacerdotium, si aliis idonei fuerint.

Vigesimo-octavo. Consecrandi olea cum quinque saltem Sacerdotibus, non tamen extra diem Cæne Domini, nisi necessitas aliud urgeat.

Vigesimo-nono. Et prædictæ facultates gratis, & sine ulla mercede exercentur, & pro eorum Diocesis tantum concessæ intelligantur ad septennium. Sic etiam habent variæ Formulæ sæpius pro Pontificis arbitrio concessæ, & à probatis Auctoribus relatæ, uti & sequentes.

## §. II.

*Pro Vicariis Apostolicis Hiberniæ.*

Ad commodatim his solent aliquando à Sede Apostolica eadem facultates & gratiæ, quæ Episcopis in prædicta formula attribuantur, pro locorum consuetudine, omisâ facultate 25. 26. 27. 28. uti habet præxis libera Congreg. de Propag. fide.

## §. III.

*Pro Superioribus Regularium ibidem.*

Concedi his quandoque postulantibus solent etiam Facultates supradictæ: sed omisâ 14. item 25. 26. 27. 28. & 24. ex parte mutata, hoc modo: Communicandi prædictas facultates duobus Sacerdotibus suæ Religionis in quolibet Conventu, aut Monasterio existente in civitate aut oppido insigni, Theologis tamen, aut in aliquo Collegio bene instructis, &c.

## §. IV.

*Pro aliis quibusdam Missionariis.*

Extant & aliæ facultates his minores quas aliquando idonei quidam Missionarii, à sacra Congregatione, aut Apostolico Nuncio impetrare solent. Tales sunt ex facultatibus supra recensitis 1. 2. 5. in foro tantum interno, & 10. absolvendi & dispensandi in simonia, sed cum varia restrictione. Item 16. 17. 19. 20. 21. 22. 23. Quibus additur potestas dispensandi, cum pauperibus tantum, in 3. & 4. gradu consanguinitatis, & affinitatis simplici & mixto, & in 2. 3. & 4. mixtis, non tamen in 2. solo quoad matrimonia futura. Item in impedimento publicæ honestatis, & cognationis spiritualis, præter levantem, & levatum; & modò in prædictis mulier non fuerit rapta, aut saltem in potestate raptoris non existat. Insuper benedicendi paramenta, & alia utensilia ad Sacrificium Missæ, ubi non intervenit Unctio: quibus & alia subindè adduntur.

## §. V.

*Pro Regno Angliæ.*

Cum in eo Regno non sint Episcopi, aliis Prælatibus, & idoneis quibusdam Missionariis concedi solent omnes facultates, quas supra recensimus pro Superioribus Regularium, & pro quibusdam Missionariis in Hibernia: immutato nonnihil articulo de communicatione facultatum, & ablata restrictione ad Art. 19. hoc modo: Administrandi omnia Sacramenta etiam parochialia, Ordine & Confirmatione exceptis. Sic enim ea facultas pro Angliâ à S. Congr. exprimi solet.

## §. VI.

*Pro Provinciis Hollandiæ, & consederatis.*

Ex ordinatione sacre Congregationis pro Episcopis titularibus Hollandiæ eadem facultates concessas reperio quas supra adduxi in formula pro Episcopis Hiberniæ. Nisi quod tertia facultas in illis Provinciis, ad pauperes restringatur: & decima ex parte mutetur, & in 24. potestas communicandi has facultates relinquatur huic Episcopo exercenda in Sacerdotes idoneos, sine restrictione, prout secundum conscientiam opus esse judicaverit.

Alii in Hollandia Missionarii impetrare solent facultates similes iis, quas Missionariis quibusdam Angliæ, & Hiberniæ concedi declaravimus.

## NOTA.

Pro Missionariis Regularium quædam singularia Pontificum Diplomata, ex quibus ampliora in hoc genere Privilegia depromuntur.

Innocentius IV. in Bulla 20. quæ incipit, *Cum horâ undecimâ*, Missionariis Regularibus per universum mundum majora quædam Privilegia adjecit. Quæ etiam Nicolaus III. in Bulla sua 2. confirmavit, excipiens dispensationem aut commutationem in votis ultamarinis, continentia, & castitatis, quæ Innocentius saltem expresse non excepit.

Sixtus IV. in Bulla quæ incipit, *Apostolica servitutis*. Et Pius II. in Bulla, *Dum levamus*, pro Missionariis Ordinis Prædicatorum varia Privilegia concedit.

Leo X. in Bulla 3. *Alias felicis*, prædictis adjecit Facultates Innocentii IV. aliasque, restringendo Confirmationem.



firmationis administrationem ad Episcopos, si in Provincia reperiri commodè possint.

Adrianus VI. in Bulla, *Exponi nobis*, Missionariis Ordinis Minorum ad instantiam Caroli V. varias facultates indulgit.

Paulus III. in Bulla, *Licet debitum*, & in aliis, varia elargitur pro Missionariis Societatis Jesu.

Clemens VIII. in Bulla, *Dominici gregis*, anno 1604. Missionariis Ordinis Carmelitarum Facultates admodum amplas concessit.

Hæc diplomata integrè recensita reperiuntur in Bullario, & apud Rodericum de privilegiis Regularium, & citantur in compendio Privilegiorum variorum Ordinum.

Ubi adverte, propter Communicationem Privilegiorum inter Ordines Religiosos, posse Missionarios unius Ordinis ex alterius Facultatibus juvari, prout traditur in Mari magno Minorum Sixti V. & in B. Aurea, & in B. *Dudum* Leonis X. ac recentius in Bulla 19. Clementis VIII. in quibus omnibus quid pro singulis valeat, & vigeat, ipsis notum esse solet.

## §. VII.

*Facultates Ordinariae quæ quibusdam Regularibus aliquando conceduntur, etiam extra Missiones, breviter explicatae.*

I. **A**bsolvendi quoslibet, à quibusvis peccatis etiam Sedi Apostolica reservatis. Intellige quoslibet, non prohibitos per sua Privilegia confiteri extra suum Ordinem, absque suorum superiorum facultate. Intellige etiam ex parte *Absolventis*, approbationem Ordinarium & cetera requisita; nisi putando is peregrinatur, veniam concedente Ordinario, si adit, & Curato non repugnante in sua Ecclesia.

II. *Et specialiter, absolvendi ab omnibus casibus peccatis, & censuris etiam reservatis in Bulla Cæna Domini.* Hanc habes integrè expressam supra cap. 4. §. 1. Quando censura fertur in eos, qui præsumunt, aliquid facere vel attentare, non comprehendi eos qui ex metu, & absque notitia sat libera id fecerunt, docent passim Theologi. 2. Si excommunicatio lata sit in patranes, docent etiam non extendi ad mandantes, nisi id alio modo exprimat. De his & seq. pluribus agit Lezana, verbo, Bulla Cæna, & ex parte Diana, & recentius Chassaing.

III. *Dispensandi super Irregularitatibus Casus dictæ Bullæ consequentes, modo paniteat, & de cetero velit absolvere.* Exceptis tamen Censuris & Irregularitatibus quæ continentur in Constitutione Sixti V. de promovendis, & Simoniacè promotis ad Ordines.

IV. *Absolvendi Relapsos qui communiter habentur Catholici quoties in hæresim inciderint, nisi essent notorii, & communiter pro talibus haberentur, & agnoscerentur; pro quibus tantum semel absolvendis privilegium concedi solet.*

*Nota,* Hæc omnia tantum valere in foro conscientiae, & monendos esse penitentes, hanc absolutionem ipsis non prodesse in foro externo. Hinc caveri solet, ubi censura est publica, ut Confessarius non absolvat nisi consulto suo Superiore.

V. *Concedendi usum Librorum prohibitorum, qui tamen non sunt editi ad stabilienda dogmata hæreticorum.* Hoc est, qui ex professo id non agunt ut hæresim ali-

quam probent vel introducant, quales censentur libri Erasmi, exceptis aliquibus ejus Colloquiis, item Ludovici Vives, Bodini, & Welsenbecii. Quales poterit, & sub quibus pœnis Libri prohibeantur tradimus infra Tract. 5. Question. 12.

VI. *Dispensandi cum illis qui contraxerunt cum impedimento criminis &c. Et cum adultero Conjugis ad petendum debitum, qui consanguineam carnaliter cognovit.* Ubi notat Castropalao, illum qui sic cognovisset consanguineam conjugis, sed cum ignorantia juris, aut pœna, hoc est, non sciens id ab Ecclesia specialiter prohibitum esse, aut sub pœna tam gravi, quam pœnam non incurrere, & posse sine dispensatione debitum petere. Scienter verò sic delinquentem, statim incurrere hanc pœnam privationis nullâ expediti juris sententiâ, aut declaratione criminis, docet hic Sanchez, alique communiter.

VII. *Communitandi omnia vota, etiam jurata in aliqua opera, dum adest causa rationabilis, sine qua commutatio nulla esset.* Debet hæc commutatio fieri in aliquid æquale, vel quasi æquale, nam si fieret in aliquid notabiliter minus, esset ex ea parte dispensatio, non commutatio. Exempla operum in quæ aptè fieri possit votorum commutatio, habet varia Sanchez, Medina, Leander, & nos de votis infra, alique.

*Excipiuntur tamen vota ultramarina, Sanctorum Petri & Pauli in Urbe, S. Jacobi in Compostella, perpetuæ Castitatis, & Religionis.*

Dixi, *perpetuæ castitatis*, quia communis sententia docet votum Castitatis temporale non esse reservatum nec votum de non nubendo, de non pollucendo, vel de statu Ecclesiastico assumendo. Quia hoc ultimum non est votum castitatis promissa, sed postea promittenda in isto statu: reliqua autem non sunt vota castitatis perfecta & completa, quæ debent strictè intelligi nomine voti in reservatione.

Inter hæc quinque vota reservata, non censentur comprehendi vota conditionalia, vel pœnalia; excepti gratia votum castitatis, aut religionis sub hac conditione, si ab hoc morbo convalesco; aut in pœnam, si fornicatus fuero: adeoque talia vota, etiam post impetitam conditionem possunt commutari, quia neque absolute, neque ex virtute religionis sunt emissa, ut docet Toletus, Sanchez, & passim alii. Reservatum quoque non esse votum fœminæ assumendi habitum sive vitæ earum quas vocant Devotas aut Beatas, quia non est status religionis aut castitatis perpetuæ, discrete docet Sanchez, Henriquez, Fagundes, & alii apud Lezana de voto Tract. 1. Diss. 7. §. 3. Quest. 47.

In his cavetur, *ne commutatio voti fiat in prejudicium tertii.* Quod si promissio non sit illi tertio specialiter facta, & ab eo acceptata, non censetur illi jus acquisitum, adeoque tale votum potest commutari. Pars de voti commutatione fusius tractat Layman de voto Cap. 8. Suarez de Rel. alique. Hæc de facultate magis ordinaria, nec omnia pro instituta brevitate hæc profertur.

Sunt etiam nonnumquam Regulares, & alii qui ex privilegio Pontificio magis speciali possunt ex causa in votis dispensare, non injungendo aliud opus, ut sit commutatio. Absolvere etiam eos qui ignorant perperatâ Simoniâ, beneficia Ecclesiastica possident, & dispensare in fructibus malè perceptis, modo illa beneficia relinquunt. Ac dispensare cum his in foro conscientiae, qui post simplex votum castitatis matrimonium